

MARIANI VICTORII REATINI EPISCOPI AMERINI

In nonum uolumen Censura.



Hoc presenti uolumine, quod nonum, postremo scilicet loco positum, nunc cupimus, comprehensum sunt omnes epistolæ, quæ quarto olim tomo cõcludebantur, eadem serie, eodemque ordine, quo antea in eo erant impressæ. Primo uidelicet illæ, quarum ignorantur auctores. Secundo aliæ, quæ proprios scriptores suis titulis præ se ferunt: inter quas locatæ sunt tam Apologia Eusebii Cæsariensis pro Origene, falsò Pamphilo Martyri adscripta: quàm ipsius Ruffini contra D. Hieronymum inuectiua. Tertio, postremoque alia non ita docta, & erudita, quemadmodum sunt ea, quæ in prima, secundaque classe continentur. Quæcunque autem illa sint, & quauis classe comprehendantur, constat Hieronymi non esse, & ab illius phrasi, stiloque maxime disidere: & si doctissima, eruditaque plurima in eis inueniantur. Quos autem habeant auctores, undeque prodierint, in tanta eruditorum ueterum multitudine, affirmare temerarium, diuinare periculosum est. Sunt tamen plurimæ epistolæ, quæ Paulini Nolani Hierosolimitani, quæ Maximi Præsulis Taurinensis: nonnullæ, quæ Augustini: quædamque Tertulliani stili, saluamque redoleant: Multæ, quæ indignæ prorsus sunt, ut uiris doctis adscribantur. Paulini phrasim præ se ferunt, Epistola quarta, quæ ad Marcellam, ut aduersa toleret: Item quinta, ad Virginem in exilium missam: Rursum xxiii. in qua redarguitur quidam, quoddam Leuitam lapsum consolatus non sit. Necnon xxiiii. in qua militem quandam ad Christi militiam hortatur. Maximi uideretur esse, septima, quæ de uiro perfectio inscribitur. Meminit enim in ea de D. Ambrosio, & de inuentione corporum Cerasii, & Protasii, quæ ab ipso Ambrosio reperta fuerunt: Item xx. cui titulus est, De uera circumcissione, ad Tetrantiam, Terentiam, seu Therasiam inscripta: uariant enim hæc in re exemplaria. Augustini stilo similis est xxi. quæ de celebratione Paschæ est: & iam inter opera eius impressa legitur: cuiuscunque autem sit, Aphricani certe hominis esse apparet ex ea. Vicesima autem secunda, cui titulus est, In Susannam lapsam obiurgatio, docta quidem, & erudita epistola est: expeditiores autem habet anfractus, nec ita longis se periodis implicat, ut Augustini esse, quemadmodum existimant aliqui, credi possit. Tertulliani autem stili habet epistola sexta, quæ ad amicum ægrotum inscribitur. Sermo autem de Assumptione B. Mariæ Virginis ad Paulam, & Eustochium Græci potius, quàm latini hominis est: quippe cum latine scribere exercitatus haud sit: & græcum hominem latine in eo loquentem uidere liceat. Sophronii autem esse, D. Hieronymi amici, illius scilicet, qui Hieronymi catalogum de scriptoribus ecclesiasticis, græcum reddidit, pro competissimum creditur. Prima autem, quæ est ad Demetriadem, doctissima perfectio, & erudita epistola, Pelagiani alicuius hominis esse creditur: quippe cum nimium libero, etiam sine dei gratia, arbitrio tribuat: quapropter iure ab Augustino, & Alipio in sequenti epistola redarguitur. Celestii, qui Pelagianus fuit, nomen, exemplaria quædam præ se ferebant. Quæ autem in calce operis, Eusebii nomine, de morte Hieronymi, ad Damasum inscripta est: Eusebii Cremonensis, indiuidui D. Hieronymi focii esse creditur. Verum nisi Damasum, alium quàm summum illum Pontificem, toti Ecclesiæ notissimum, eo nomine intelligat, falsis circumferunt nominibus. Longe enim ante D. Hieronymum Damasus Papa obiit. Quæ uero uel Cyrilli, uel Augustini de miraculis Hieronymi nomen habent, cuiuscunque alterius potius, quàm Cyrilli, & Augustini opera sunt. Quod recte ante nos D. Antoninus agnouit. Vitam uero Hieronymi incerto auctore conscriptam (quàmuis altera a nobis ex eius scriptis uerius, fidelisque sit edita) ne quis sibi aliquid deperiisse conqueri posset, ita ut prius typis mandata erat, reliquimus. At non propterea omnia quæ in illis produntur, falsa & commentitia esse credendum est. Multa enim uera falsis auctorum nominibus circumferuntur: quæ celebria ideo solent apponi, ut uel pretiosius uenundentur, uel audius lætentur. Versus, quos a præclarissimo Homeri opere Aristarchus, uti spurios submouebat, non propterea aut falsi erant, aut suum, alium tamen quàm præ se ferrent, non habebant auctorem. Si uetera diligenter recenscas, nullos præstantissimos in omni doctrinarum genere scriptores ferè inuenies, quibus adulterina aliqua non sint adiecta, Aristoteli, Hippocrati, Galeno: & ex nostratibus Augustino, Ambrosio, Chrysostomo, D. Thomæ, aliisque, quos numerare piget, plurima aliunde aduecta, ascribuntur: quæ tamen non solum docta, & uera sunt, sed digna etiam, quæ a fidelibus lætentur. Mentitus enim titulus falsam haud reddit historiam: nec propterea mendax est interpretatio aliqua, quia aliud nomen, quàm proprii prætendat auctoris. Ipsa enim re, non scriptoris nomine, ueritas aut probatur, aut adulteratur. Itaque quàmuis Hieronymi epistolæ huius uoluminis minime sint: sanctorum tamen, eruditorumque hominum labores sunt: legique, uel ecclesiasticorum procerum opera possunt: parumque refert scire quis scripserit, quando ea quæ scripta sunt, & orthodoxam fidem, & piam in se eruditionem continent. Verum quia Apologia pro Origene, & Ruffini in Hieronymum inuectiua hoc uolumine continentur, addidimus eius initio, Mileuitani, itemque eius, quod Romæ sub Gelasio Papa celebratum est, concilii de D. Hieronymo testimonium: ut quantæ existimationis is semper fuerit, quætiue eum antiquitas fecerit omnis, tam qui Origeni nimium sunt addicti, quàm qui Ruffini ipsius contra D. Hieronymum iura tuerentur, omnes agnoscant.